





~~1173.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. c1515CCCXIII.





DISSERTATIONUM  
DE  
**SYLLOGISMO**  
MODALI SIMPLICI NON-  
EXPONIBILI  
*PRIMA*

De Propositionum modalium simplic.  
non-exponib. Quid ditate,

<sup>Quam</sup>  
*PRÆSIDE*

**M. NICOLAO BENED.**  
**PASCHA,**

Facult. Philos. Adjuncto  
RESPONDENS

**BOZZFARZED PASCHAE**

Nimtschensis Sil.

*placida eruditorum disquisitioni*  
expofuit

Witteb. Anno M DC LXXIV. d. 15. Julii

*In Auditorio Majori*

horis matutinis,



*WITTEBERGÆ,*

EXCUDEBAT JOHANNES WILCKIUS.



26

DISSERTATIONUM

SYLLOGISMO

MODALI SIMPLICI NON

EXPONIBILI

PRIMA

De Propositionum modalium simplicium

non-exponib. Quidam

Quam

PR. R. VIDE

M. NICOLAUS BERNH.

PASCHE

facit. Nihil aliud

GOTTFR. D. V. G. G. G.

in

W. G. G. G. G. G.

in

in

LEIPZIG







I. N. 7.  
PRO OEMIUM.

**D**octrina de *Modalibus*, p. quod difficillima & admodum intricata, adeo ut proverbium ex eo natum, *De modalibus non gustabit asinus*; & *Nibusius* octennio super eadem desudavit: p. quod ejus, praesertim quia syllogismos modales, vel nullus, vel non adeo magnus in nostris scholis est usus, unde *Keckerman. Log. System. l. 2. c. 3. p. 327.* ait: se non meminisse, magnum unquam periculum in disputando creatum fuisse illi, qui doctrinam Modalium ignoravit: à non paucis usque; de quibus habetur, imo à nonnullis Syllogismi modales è foro Logico penitus eliminantur. Cujus erroris patrocinium in primis in se suscepit *P. Ramus* cum caterva sua, nec pauci etiam ex Peripateticis sunt, qui planè omittunt Doctrinam de Syllog. mod. ut *Phil. Melanchton, Zabarella, Fonseca, Mendoza, Arriaga, Lalemandet, F. Crellius, D. Stablius* &c. plurimi certè cum ipso Aristotele suo de Modalibus ex modo Impossibile & possibile altum agunt silentium. *Lud. Vives l. 3. de caus. corrupt. Artium*, totam doctrinam de modalibus purè Grammaticalem esse & nullum cum Logica habere commercium audacter asseruit; & *David Derodonis* in Logica restituta p. 703. syllogismos modales ferè inutiles esse, non dubitat affirmare. His tamen non obstantibus semper fuere multi & magni Viri, qui hanc doctrinam contra oses modalium masculè tutati sunt, quos inter non infimum obtinent locum *D. Danhawerus* in *J. B. D. & M. S. f. 2. a. 12. §. 78. p. 293. & seq.* & *B. Scharffius* noster in Exegesi Log. Peripateticæ Exercit. 14. *Ludovici Vives* etiam specialem sententiam discussit *Keckerman. l. c.* egregiis argumentis. Et sanè, si dicendum quod res est, tota ferè, quæ in Modalium doctrina datur difficultas, eidem non tam in se & ratione sui, quam ex acci-



denti & vitio malè tractantium, è quorum numero nec ipse *Aristoteles* excipiendus, competit; Rectè enim *Keckerm.* l. c. ait: *Huic doctrinae magnas spinas à spinosis ingeniis intextas esse.* Et parùm à veritate aberrat *Severinus Scluterus* in *Anatome Log. Rameæ* l. 2. c. 12. p. 514. dicens: *Doctrinam modalium Aristotelis obscuram, spinosam & perplexam esse.* Non itaq; hæc difficultas tam premit discentes eam, rectâ sc. via informatos, quam eos, qui Augiæ hoc stabulum à sordibus suis repurgare suscipiunt; & maximè, qui infelici fidere acti eandem cum omnibus suis tricis ediscere, à Præceptoribus rem non intelligentibus, barbarico sæpè ritu compelluntur. Quapropter non sine gravi injuria odioso difficultatis nomine traducitur, & alieno crimine infimulatur solidior ejus doctrina. Sophisticè omnino agunt, quotquot ex eo, quod syllogismorum modalium usus non ita magnus apud Latinos quàm apud Græcos, ut rectè monet *Keckerman.* l. c. & adstipulatur *J. Martini* in prælect: *extemporan. ad Keck. Log. p. 469.* colligunt, nullam prorsus eorum esse necessitatem utilitatemq;. Quod si etiam hæc doctrina ab omnibus, quæ malâ fraude admiscerentur, depurata ad ingeniis obtusis perceptu difficilis sit, nemo tamen saniorum, propterea eam prorsus rejiciendam censebit, cum neminem lateat, res maximè necessarias haud raro magno demum labore intelligi. Deniq; si vel maximè in ipsa doctrina aliqua resideret difficultas, quæso, cur non & hic valeret tritum illud: *Difficilia quæ pulchra?* Nemo itaq; vitio nobis vertet, quod aliquod temporis spatium huic doctrinæ cognoscendæ impendimus, nostrasq; lucubrationes in publica dissertatione exposuimus; quibus per lectis non omnino nullum percipiet fructum attentus lector.

§. I.

**S**yllogismum modalem à propositionibus modalibus ex quibus constat, denominationem habere, vel sola ejus descriptio, quæ communiter à Logicis traditur, sufficienter nos docet. Cave autem ne omnes præmissas hujus Syllogismi modo aliquo affectas esse debere, putes; ex infra enim dicendis constabit, modales alios puros esse, alios mixtos, adeoq; ad verum modalem requiri, ut vel altera vel utraq; præmissarum sit modalis. Cùm itaq; intelligen-  
tia



tia Syllogismi modalis omnino ab intelligentia propositionum modalium (harum enim mentione solet tradi Definitio, quæ nos in Definiti notitiam deducit) dependeat; non præter rem facturi sumus, si prius de propositionum modalium quidditate & natura succincte differemus.

§. 2. Est itaq; Propositio modalis, definiente nostro Scharffio in *Instit. Log. l. 2. c. 6. p. 363. in qua dicitur aliquid inesse l. non in esse sub certo modo.* In qua descriptione Genus est omissum, & facile concessero, quod suppleri possit per *τὸ propositio simplex;* eò quod verba differentiam declarantia ostendant B. Virum l. c. non locutum de modali in sua latitudine sed propositionis simplicis. An vero Modalis in suâ latitudine ad solam propositionem simplicem sit restringenda, ut vult aliquis *Vir doctissimus* (cui, quod ingenuè confiteor, quæ scientiâ qualemcunq; meam in Logicis plurimum debeo) in *Instit. log. l. 2. c. 11. p. 298.* ubi expressè negat dari modalem compositâ, meritò dubitamus, & certè probabilior multo nobis videtur sententia *Joachimi Jungij* viri in Logicâ arte non leviter periti, qui in *Instit. Log. l. 2. c. 20. p. 168.* modales compositas dari, plurimis confirmat exemplis, ex quibus cape sequentia: *Necessè est, si animal aliquod sit, substantiam aliquam esse. Impossibile est & Deum justum esse & improbos non puniri. Necessè est aut solè moveri, aut terrâ moveri aut utrumq; & c.* adde etiam hoc: *Contingit si Petrus est in hypocausto ipsum scribere.* Etsi enim juxta *Thomam* opuscul. 48. tract. de Enunciat. c. 14. *P. Hispanum* tract. 1. summ: aliosq; ad veritatē Enunciationis Conditionalis requiritur necessaria consequentia consequentis ex antecedente: erroneam tñ. esse hanc sent. ad oculos demonstrarunt *P. H. de Mendoza Diss. 4. f. 3. P. Fonseca* in *Instit. Dial. l. 2. c. 15. p. 150. D. Stablinus* in *quæst. Log. q. 69.* & modo allegatus, vir *l. c. c. 13. p. 349.* aliiq; sed hæc obiter.

§. 3. Militat autem pro posteriori sententia efficax ratio, quæ est, quod modus in allegatis exemplis non minus afficiat connexionem integrarum propositionum (quæ est forma propositionis compositæ) quam in simplici connexionem prædicati cum subjecto; jam propositio simplex tum est formaliter modalis quando modus connexionem subjecti & prædicati



dicati afficit; E. merito concludimus compositum tum formaliter esse modalem, quia connexio extremorum per modum determinatur. Consequenter puto esse evidentem, quia nulla ostendi potest ratio, ob quam determinata connexio terminorum in simplici propositio reddat eam modalem, in composita vero idem non efficiat. Affici autem in allatis exemplis connexionem propositionum addito modo attendenti facile per constat. Sic in prima, si absolute dixeris: si aliquid animal est, substantia aliqua est; exprimitur quidem connexio scilicet consequentia consequentis ad antecedens, non tamen qualis sit, utrum necessaria an contingens; addito vero modo: Necessesse est, iam explicitè determinatur quod sit necessaria non contingens. Et licet consequentia illa sit necessaria etiam præciso modo, attamen in tali casu non expressè significatur, quemadmodum fit addito modo. Res enim eodem modo se habet ut in simplici hac: Homo est animal. Hæc absoluta est necessaria (nexus enim habent termini necessarium) non tamen modalis & de modo necesse; quod si vero addatur modus  $\tau$  Necessesse est; illico clare exprimitur nexus necessarius & propositio desinit esse absoluta fitque modalis. Similiter in secunda,  $\tau$  impossibile exprimit clare, quia ratione hæc duæ propositiones: Deus est justus & Improbi non puniuntur; copulentur, nempe quod ita simul non sint veræ, ut nec possint simul esse veræ in tertia disjunctio harum: Sol movetur, terra movetur, utrumque movetur, per modum Necesse ita determinatur, ut necessario (non contingenter saltem) unam ex iis veram esse debere, evidenter percipiam. In quarta, consequens hoc: Petrus scribit cum antecedente suo: Petrus est in hypocausto contingenter coherere explicitè insinuatur & sic consequentiam ipsam determinat modus contingit.

§. 4. Regerit tamen *laudatus Autor*, non sufficere ad modalem si modum habeat. *Respond.* sic est, at hoc tamen sufficit si modus afficiat ac determinet connexionem partium principalium. Instat: si præponatur modus in composita, scilicet postponatur, scilicet etiam inseratur, non erit ea modalis, ut scilicet composita. *Respond.* gratis hæc asseri, cum in antecedentibus probatum à nobis sit, in iis æquè affici copulam ac connexionem extremorum, ut

in



in simplici modali composita. Probaturus tamen assertum suum, adducit aliud exemplum; sive dicam, inquit, Necessesse est si homo est animal, eum quoque sentire, sive dicam, si homo est animal, eum quoque sentire necesse est, sive denique dicam, si homo est animal necessario sentit, nulla harum conditionalium est modalis, licet quælibet earum modum necesse habeat &c: & porro: unde allatæ enunciationes sunt compositæ seu conditionales tantum de consequente modali, hoc est, in his enunciationibus tantum consequens (quæ est simplex enunciatio) est modale &c: Verum contra nos dicimus omnes allatas propositiones esse verè modales compositas & non tantum de consequente modali, quia modus in illis non exprimit necessitatem identitatis inter subjectum & prædicatū consequentis, sed necessitatē consequentiæ consequentis ad antecedens, quod vel ex ipsis *laudati Autoris* subjectis verbis colligere est, dicit enim: sensum earum esse hunc: posito hoc, quod homo sit animal, necessario quoque ei competit hoc prædicatum, nempe sentire. Vides ergo quod modus non simpliciter exprimat, prædicatum hoc cum suo subjecto necessario coherere, sed stante antecedente, necessarium esse, ut homo sit sentiens; quod idem est ac si dicerem, Hanc: Homo sentit, necessario sequi ex hac: Homo est animal & sic ipsa sequela sive consequentia integrarum propositionum modificatur, & ad necessitatis gradum (ut sic loquar) determinatur: Nec obstat nobis (1.) quod in tertia exempli situatione modus non præponatur vel postponatur toti enunciationi; quia etiam in simplicibus non semper toti enunciationi præponitur l. postponitur, ut ex divisis modalibus constat, & tamen nihilominus copula manet modificata ipsaque propositio formaliter modalis. nec (2.) quod hac ratione copula non videatur affici, quia modus eidem postponitur; nam non tam ad situm quam sensum est respiciendum; advertit autem quilibet, quod etiam in tali situatione adhuc connexio & consequenter etiam copula determinetur. Sic in hac: si homo est animal non statim est rationalis; particula negans non minus afficit copulam principalem, ac si dixissem: Non si homo est animal statim est rationalis. nec (3.) quod in allato exemplo simpliciter detur necessarius nexus inter subjectum & prædicat. Consequentis, non enim ille propterea statim per additum modum hoc loco exprimitur, alio-



alioquin hoc semper fieret v. g. in his: Necessse est si lapis est homo, cum esse rationalem, it. Non Necessse est, si homo est animal, cum esse rationalem, item Contingit, si homo est animal, cum esse rationalem, &c: in quibus omnibus consequens est falsissimum, si modus ut determinatio partium consequentis simpliciter, non vero ut determinatio consequentiae extremorum principalium exponitur; quis enim concedet has propositiones simpliciter: Lapis necessario est animal. Homo non necessario est rationalis. Homo contingenter est rationalis?

§. 5. Ex dictis constat, dari omnino *propositiones modales compositas*, & propositionem simplicem ac modalem se invicem respicere, ut termini *Excedentes & excessi* (quemadmodum vocantur à Scholasticis) se respiciunt; cum nec omnis *propositio simplex sit modalis, nec omnis modalis, simplex*. Coeterum quia in presentiarum non constituimus agere de syllogismo modali quocunq; s. abstracto à simplici & composito; sed ut titulus nostræ dissertationis habet, tantum de modali simplici animus est differere, etiam de modalibus compositis amplius nihil dicemus. Addidimus etiam in titulo hanc determinationem: non exponibili, ut excluderemus syllogismos modales exponibiles, tales enim dari, Deo dante in alia disputatione demonstrabo. Itaq; de sola propositionum modalium simplicium non-exponibilium natura, ex quibus videlicet componuntur Syllogismi modales simplices non exponibiles, nunc erimus solliciti.

§. 6. Hactenus de iis quæ concernunt *Genus* propositionis modalis, nunc *Differentia* ipsa Definitionis Scharffianæ declaranda venit. Ex primitur autem ea his verbis: *in qua dicitur aliquid inesse vel non in esse sub certo modo*. Quibus verbis contra distinguitur propositionibus simplicibus absolutis. *Absoluta* enim dum affirmat l. negat aliquid de aliquo, tantum dicit, quod prædicatum subiecto competat vel non competat; quo modo autem eidem conveniat vel non conveniat explicitè non dicit. *Modalis* autem præsupponit hoc, quod subiecto competat vel non competat prædicatum, & insuper exprimit sive significat explicitè, sub quo modo eidem conveniat (an scil. necessario an contingenter) & quo modo non competat, (an sc. ita repugnet subiecto, ut impossibile sit eidem competere an vero ita repugnet, ut tamen possibile sit, eidem convenire) Itaq; in allegatis verbis duæ  
partes



partes primariæ propositionis modalis exprimuntur 1. *Dictum*  
2. *modus*. Antequam vero ad eorum ventilationem descendam,  
paucis expediam intricatam quæstionem, de discrimine enuntia-  
tionis absolutæ & modalis, *an sit essentielle & specificum nec ne?*  
Cujus decisio tam difficilis visa fuit accuratissimo C. Noldio ut in  
Logica recognita P. 2. p. 155. dixerit, *rem multæ & anxie esse in-*  
*daginis, decidere an modalis composita ab absoluta differat specie.*

§. 7. Cæterum negativa quæstionis perplacuit Bartholdo  
Nibusio Disp. Log. 4. Th. 15. quem sequitur B. Danbauerus in I. B.  
D. & M. S. S. 2. a. 13. §. 84. p. 304. seq. Saurius in Instit. Log. 1. 2.  
f. 2. c. 1. pr. 2. p. 276. & can. 2. p. 287. Ad. Spenglerus Exerc. Log. 4.  
Can. 2. p. 398. it. *alius quidam Vir magni nominis* in Colleg. Log.  
M. S. Concl. 69. & in Breviario Eustachiano quæst. Log. 113. p. 87.  
Noldius etiam favet huic sententiæ quantum ad modales divisas,  
supponens modalem fieri absolutam, modo rejecto inter sub-  
jectum & prædicatum, (de qua hypothesi infra) loc. cit. p. 180.  
nec displicere sibi eam opinionem fatetur Gutkius in Log. divin.  
Exerc. 9. Affirmativam tamen tuentur aut ad minimum salvis  
suis hypothesibus tueri necesse habent Excell. Dn. Bechmannus in  
annot. ad Horneji Logicam M. S. c. 83. q. 1. & quotquot divisio-  
nem Propositionis simplicis in absolutam & modalem statuunt  
esse divisionem ratione formæ ut facit subtilissimus Derodonis in  
Log. restituta p. 566. & in Log. contracta p. 63. & Casp. Wyssius  
Cursu Logico p. 173. Nec se subducere possunt, qui Enunciationem  
simplicem tripliciter subdividendam censent 1. ratione Qualitatis  
2. Ratione Quantitatis. 3. Ratione Quiditatis. f. essentiæ & ad  
postremum membrum referunt etiam divisionem propositionis  
simplicis in absolutam & modalem, quod inter alios etiam facit  
noster Scharffius in Man. Log. 1. 2. c. 4. p. 153. & sanè ipsum favisse  
affirmativæ parti, clarè docet inscriptio citati capituli, quæ hæc  
est: De speciebus Enunciationum & primo de modalibus. Eandem  
divisionem ab ipsa forma esse petitam asserit in *Exegesi Log. Peri-*  
*patetice* (ex omnibus scriptis Logicis ipsius pene accuratissimo)  
Exercit. II. Eidem sententiæ, salvis tamen aliorum auctoritatibus,  
& nos adstipulamur.

§. 8. Cæterum ut Veritas in hac re eo magis pateat, obser-  
vabis

B



vabis 1. non quæri de *discrimine* aliquo *essentiali* & *specifico* rigo-  
roso, tale enim h. l. non inveniri quilibet sanus facile concesserit,  
cum propositiones nec in prædicamento, nec propriè dictæ spe-  
cies sint quales v. g. Homo & Brutum sunt respectu animalis :  
Sed quæritur de *discrimine* *essentiali* & *specifico* analogico & pro-  
portionem habente cum propriè dicta diversitate *specificâ*.  
2. Quod quæstio non sit de *Enunciatione absoluta ac modali obje-*  
*ctivâ*, aut *formali interna sive mentali*: Sed *formali externa sive*  
*scriptâ sive ore prolata*, quæ vulgo *vocalis* dicitur. De  
discrimine harum Enuntiationum informat nos *Dero don* in *Log.*  
*Recognit* p. 474. 475. & *Cass. Wyssius* l. c. p. 234. 235. 3. quod Enun-  
ciatio *vocalis*, de quâ nunc quæritur, dupliciter considerari possit,  
1. *Materialiter* quatenus est aggregatû literarum, syllabarum & vo-  
cum; quo pacto non secus ac numerus, addita l. detracta una li-  
tera a. syllaba, essentialiter mutari dici potest, est enim oratio hoc  
modo considerata nihil aliud quam numerus. Vid. *Scheiblerus* in  
*Op. Log.* P. 1. c. 7. num. 33. *Sibalius* in *Inst. Log.* l. 1. f. 2. c. 2. f. 54.  
& in *Instit. met.* Part. spec. c. 7. p. 499. &c. Et omnis numerus  
sublatâ vel addita unâ duntaxat unitate essentialiter mutatur, Vi-  
deatur *Mafius* in *Comment. ad Org. Arist.* f. 2. q. 3. inc. 2. *Categ.*  
p. 49. &c. de hoc respectu nunc non est quæstio. 2. considerari potest  
Enuntiatio *vocalis* formaliter & quatenus est signum Enuncia-  
tionis *objectivæ*; quâ ratione discrimen ejus *essentiale* desumi-  
tur à diversitate sensus, sensus enim est forma *Orationis externæ*.  
Jam, quia sensus varietas dependet partim à *varietate extremorum*  
*connexorum* partim à *varietate ipsius connexionis*, quilibet videt,  
enunciationem *verbalem* identitatem *specificam* non obtinere,  
quorum vel si bjectum vel prædicatum vel utrumque quoad rem  
variat, multo minus eandem specie *essentiam* habent, quæ licet  
eadem extrema obtineant, in modo tñ. *connexionis* discrepant.

§. 9. His ita præsuppositis dicimus 1. *propositiones modales*  
*compositas juxta eos, qui dictum subjectum, modum verò prædicatum*  
*faciunt, necessario ab absolutis discrepare essentialiter*: Quia utro-  
biq; aliud est subjectum & prædicatum. v. g. in hac: *Necesse est, ho-*  
*minem esse animal.* juxta determinatam hypothefin,  $\pi$  *Homi-*  
*nem esse animal,* est subjectum,  $\pi$  *necesse est, esse prædicatum*; at  
in



in hęc: Homo est animal; Homo est subjectum, animal v. est prædicatum. Ubi quilibet, cui non pepones sunt pro cerebro, videt, utrobiq; aliud subjectum esse, aliud prædicatum 2. *propositiones modales divisas, si supponatur modum esse partem materialem prædicati, à suis absolutis adhuc essentialiter differre, quia mutato prædicato, mutatur sensus, mutato autem sensu mutatur forma & consequenter essentia propositionis, obtinere autem absolutam & modalem divisam, stante hac hypothese diversa prædicata, ex eo constat, quia terminus absolutus & modificatus in syllogismo juxta ipsos adversarios pro diversis agnoscuntur terminis.* 3. *Quod adversarij qui agnoscunt modales posse esse falsas, absolutas verò veras & contra, necesse habeant agnoscere discrimen essentialiter, saltem quoad eas, quæ tali modo se habent; ratio est, quia veritas, & falsitas super eundem sensum cadere nequeunt, neque etiam eadem specie propositio simul vera & falsa esse potest. Hęc ratio adeo movit Christ. Noldium, ut concesserit ob hanc causam, modalem compositam specie differre ab absoluta, l. c. c. 9. p. 155. In eo tamen lapsus est doctissimus Vir, quod non adverterit, modalem divisam æquè ac compositam (hęc enim prorsus eundem habent sensum) aliquando esse falsam, vera existente absoluta, & contra, adeòq; hanc non minus ac compositam ab absoluta specie differre.* 4. *Quod etiam juxta illos, qui modum ad copulam referunt, & determinationem connexionis extremorum faciunt, quod & nos infra faciemus, rectè dicatur, modalem ab absoluta essentialiter differre; ratio, quia connexio est forma enunciationis objectivæ, variante autem forma enunciationis objectivæ, variat etiam sensus Enunciationis vocalis, & consequenter non sunt specie eadem propositio modalis & absoluta verbalis. Quod autem connexio inter extrema propositionis absolutæ à connexione inter extrema propositionis modificatæ differat, ex eo patet, quod ibi exprimitur identitas vel diversitas absoluta & indeterminata, hic verò identitas vel diversitas determinata & modificata, unde modalis ad absolutam suam, monente Joach. Jungio, l. c. l. 2. c. 12. p. 144. ferè eodem modo se habet, sicut Indefinita ad Definitam (vel rectius sicut Definita ad Indefinitam.)*

§. 10. Contra nos autem objicit Nihusius, (1.) *quod in mo-*

B 2

*dalè*



*dali & absoluta sit eadem forma*; minorem confirmat, quia utro-  
biq; est eadem copula nempe Verbum substantivum EST, Sed R. ne-  
gando minorem, contrarium à nobis demonstratū. Confirmatio  
ad ducta petit principiū, falsum enim copulam verbalem esse for-  
mam propositionis. *Conf. Scheiblerus in Op. Log. p. 3. c. 1. tit. 5.*  
*n. 33. (2.)* Objicit *Non nemo l. c. p. 304. quia modus est pars prædi-*  
*cati*; connexionem majoris probat, quia differentia à prædicato  
desumpta solum sit materialis non formalis. R. posset ad ma-  
jorem reponi quod forma propositionis verbalis sit sensus, mu-  
tato autem subjecto vel prædicato, non manere identitatem sen-  
sus, & sic corrumpere formam; dici etiam posset, quod mutata ma-  
teria mutetur ipsa essentia, quia materia non minus quam  
forma sit pars essentialis, & sic concesso discrimine materiali non  
tamen statim concedendum esset discrimen accidentale sive non  
essentiale, ut Adversarii volunt. Sed hæc transeant, negamus potif-  
simū minorem, modus enim nequaquam est pars materialis  
subjecti l. prædicati, quatenus scilicet formaliter accipitur sed ad co-  
pulā pertinet, ut infra demonstrabimus. Nec satis sibi constat *lau-*  
*datus Vir*, nam p. 305. dicit, modum afficere copulam, ut species suū  
Genus, sive ut unio perichoristica unionem simpliciter. Si ergo  
afficit copulam, quomodo erit determinatio prædicati materia-  
lis? Et quis dicet unionem perichoristicam esse partem materia-  
lem aut pertinere ad partes unitas materialiter in toto peri-  
choristico? Adde quod idem *laudatus Vir l. c. p. 299.* expressè di-  
cat, modalem compositam nihil aliud notare, nisi nexum esse ta-  
liter l. taliter modificatum; at eodem loco contra *Nihusū* probat,  
Compositarum modalium idem esse iudicium cum Modalibus di-  
visis. (3.) Obiicit *alius quidam doctissimus Vir in Coll. Log. MS. Con-*  
*clus. 69. & in Brev. Eustachiano q. L. 13.* Quia modalis ab  
absoluta Grammaticè tantum, hoc est solo enunciandi mo-  
do differt, ita ut in modalis modus saltem ponatur explicitè,  
in absoluta vero lateat implicitè; adeoque tantum differre  
ut propositiones de copula explicita ab illis, quæ sunt de  
copula implicita. Sed R. *negando* quod solo enunciandi (sc. ver-  
bali) modo, nec magis quam propositio de copula explicita à pro-  
positione de copula implicita, differant; Ratio negationis ex eo  
patet, (1.) quia sæpe absoluta existente vera modalis est falsa &

con-



contra, propositiones vero copulae explicitae & implicitae semper simul verae & simul falsae, caeteris paribus, sunt (2.) quia modus ampliat propositionis significatum, quod tamen copula explicita non facit, nihil enim amplius significatur in hac: Petrus est orans; quam in hac: Petrus orat.

§. 11. Haec de discrimine Enunciationis absolutae & modalis; nunc ad explicationem partium principalium (ut vocant) Propositionis modalis descendendum; Has supra diximus esse *Modum & Dictum*. *Dictum* h. l. est Enunciatio simplex absoluta, quae dicit, quod praedicatum subjecto competat vel non competat; estq; monente *Gisb. Jab Isendoorn* in *Curs. Log. systemat. & Agonist.* l. 2. c. 3. theor. 4. p. 315. *ut plurimum oratio constans nomine obliqui casus & verbo infinitivi modi. Modus vero est id cuius beneficio modalis enunciatio significat, quomodo praedicatum competat vel non competat Subjecto.* Hinc *Magentinus Mitidenens.* *Commentar.* in lib. de *Interpr.* c. 12. modum describit, quod sit vox quae significat, quomodo se habeat praedicatum ad subjectum. Sic v. g. in hac: *Necesse est Spiritum esse incorporeum.* Occurrit (1.) *Dictum*, quod est enunciatio illa absoluta: *Spiritum esse incorporeum* (2.) *modus*, *Necesse*, qui significat, praedicatum hoc, esse incorporeum, Subjecto suo, quod est Spiritus, ita actu convenire, ut non possit non eidem competere.

§. 12. A modo itaq; tali propositio hoc loco nomen accepit, ut dicatur modalis, sive modificata, unde palam constat, nos propositionem modalem in praesentia non accipere in *ea latitudine* ut etiam *exponibilem* sub se comprehendat, quemadmodum accepit *Keckermannus* in *System. Log.* l. 2. c. 3. p. 325. dividens *modalem* in *primariam & secundariam*; de qua propositionis modalis ampliatione quid sit habendum, ex *I. Martini* praelectionibus extemporaneis in *Log. Keckerm.* p. 469. addisces. Nos accipimus hanc propositionem in latitudine, *Noldio* in *Log. Recogn.* c. 9. p. 152. usitatam, ubi modificatam propositionem facit *quintuplicem*, *Modalem specialiter dictam, Coniunctivam, Relativam, Limitativam & comparativam.* Strictior autem & quae a nobis nunc attenditur, propositio modalis eadem est, quam *Keckermannus* vocat *modalem primariam*, & *Noldius* *modalem specialiter dictam*, quae, ut dictum, ob certam vocem, exprimentem determinationem convenientiae



nienriæ vel disconvenientiæ inter subjectum & Prædicatum, hoc nomine effertur.

§. 13. Patet insuper ex dictis, modum h. l. non quamlibet vocem determinantem & modificantem (ut loquuntur) enunciationem s. qva formam (h. e. connexionem extremorum) s. qva materiam (h. e. subjectum & Prædicatum) comprehendere; quo sensu *J. Martini in Instit. Log. l. 3. c. 12. p. 293.* determinationem in Enunciationibus dispescit in *eam*, quæ est in partibus nomine & verbo, & in *eam*, quæ est in tota enunciatione. *Illam* vicissim *triplicem* facit, *aliam*, quæ determinat eas gratia rei, ut in his: Homo doctus disputat, Johannes currit velociter &c: quo pertinet appellatio *Summulistarum*, de qua conferri poterit *P. Fonseca in Instit. Log. l. 8. c. 41. p. 615.* &c. *aliam*, quæ illas determinat gratia temporis, ut in his: Hodiernus dies dictus est nuptiis, Nemo cras docebit &c: Huc pertinet *Summulistarum restrictio* de qua *Fonseca l. c. c. 40. p. 613.* &c. *aliam* deniq; quæ fit per adverbia optandi, hortandi & similia &c: determinationem totius enunciationis rursus subdividit in externam & internam; *illam* vocat, quæ determinat dictum quoad intellectum nostrum; i. exprimit tantum habitudinem enunciationis ad rem enunciata, qt. nempe ab hac enunciatio mensuratur; *illuc* refert hæc exempla, *auditum est, Creditum est, scitum est &c: Æschinem scortari; Huc* reducit sequentia, *Verum est, falsum est &c: Determinatio interna* ipsi dicitur, quæ determinat compositionem dicti in sese, eamq; variat, dum non simpliciter per copulam prædicatum conjungit cum subjecto, sed insuper adjicit rationem & modum secundum quem inexistit prædicatum subjecto. Ex his autem variis determinationum generibus *sola ultima* est h. l. modumq; specialiter dictum efficit. Unde graviter lapsi sunt, 1. *Ludov. Vivès l. 3. de causis corrupt. Art. & Petrus Ramus l. 6. schol. Dial. c. 3.* quem sequitur *Beurbustus Part. 2. Pædagog: Log. p. 905.* &c. *Taleus* in prælectione, ad *P. R. Dial. p. 320.* &c. reprehendentes *Aristotelem*, quod tantum 4. modos enumeraverit, cum sint innumerabiles, quod exemplis hisce probant: *Alexander præliatus est fortiter, Zeno respondet subtiliter, Socrates disputat sapienter &c.* in his enim omnibus confundunt modificationem *materialem* (quæ fieri pro-



propè per omnia nomina & adverbialia potest morante *Noldio* in Log. Recogn. p. 155.) cum formali, vocesq; modificantes materialiter cum vocibus determinantibus *formaliter* quæ toto cælo differunt; & licet illas ad has reduci posse contendat *Casp. Wyssius* in Curs. Log. p. 274. aërem tamen ferit. 2.) *Qui ad modos propriè dictos referunt τὸ Verum est, Falsum est, Certum est, Probabile est, Honestum est, jucundum est, Utile est, justum est, &c.* quos omnes probat *C. Wyssius* l. c. *Mich. Psellus* verò l. i. synops. organ. c. 10. *P. Hispan.* in Summa Log. parv. antiq. l. i. fol. 544. & alii tantum *priores duos* receptis nostris 4. modis superaddunt. Cui errori occasionem præbuit ipse *Aristoteles* lib. de Interpr. c. 12. &c. Hos omnes refutatos lege à *J. Martini* in Instit. Log. l. c. p. 294-296. *C. Scheibl.* l. c. p. 608. 609. *J. Scharff.* Exer. Log. 14. n. 7-18. *H. Arniseo* in Crellii Log. p. 262-265. *A. Spengl.* Exerc. Log. 4. th. 3. p. 391. &c. *Versorio* in P. Hisp. p. 75. *D. Derodoni* in Log. Restitut. p. 567. *J. Saurio* in Syntagm. Log. l. 2. f. 2. c. 1. p. 278. 280. *Bechmanno* in Inst. Log. l. 2. c. 11. p. 301. 303.

§. 14. Gæterum, ut sciamus, quoniam sint illi modi, determinantes compositionem dicti in sese &c. Certa constituerunt *Keisera* boni Autores, quibus modus specialiter dicto ab aliis dignosci potest (1.) *ut sit determinatio afficiens copulam sc. principalem sive dispositionem Prædicati cum subjecto.* Hoc est, ut possit prædicari de identitate sive diversitate prædicati & subjecti vel quod eodem recidit, ut determinet non qualitatem, actionem, passionem aut tempus verbi sed veritatem aut falsitatem propositionis; excluduntur itaq; omnes modi materiales determinantes qualitatem, actionem, passionem aut tempus prædicati. Ut in his: *Petrus est pulchre doctus, Petrus doctè scribit, Petrus graviter vulneratur; Petrus studet diu;* non enim possum dicere: Identitas inter Petrum & doctum est pulchra, it Identitas inter Petrum & scribentem est docta, it Identitas inter Petrum & vulneratum est gravis. Vel quod eodem recidit, non possum dicere: Hæc propositio (Petrus est doctus) est pulchrè vera, it. Hæc propositio (Petrus scribit) est doctè vera, it. Hæc (Petrus vulneratur) est graviter vera, it. Hæc: (Petrus studet) est diu vera. Contra rectè dico: Doctrina Petri est pulchra, Scriptura Petri est docta, vulneratio Petri



Petri est gravis. Tempus studiorum Petri est diuturnum. Ex quibus palam est, in his exemplis non determinari connexionem Præd. cati & subjecti sive Veritatem propositionis sed vel qualitatatem, ut in prima, vel actionem, ut in secunda vel passionem, ut in tertia. Simile iudicium ferendum dereliquis. (2.) Ut copulam sive connexionem extremorum determinet non extrinsecè sed intrinsecè, hoc est: Ut non significet tantum, quomodo prædicatum subjecto in ordine ad nostram cognitionem sive sensitivam sive intellectivam aut appetitum &c. conveniat: Sed ut significet, quomodo præciso actu intellectus, sensus, appetitus &c. nostri prædicatum subjecto conveniat; excluduntur ergo modi determinantes extrinsecè, ut in his: *Petrum esse hominem intellectum est, Petrum clamasse auditum est, Petrum vicisse gratum est* &c: non enim in his determinatur connexio extremorum in se sed tantum in ordine ad nostrum intellectum, ut in prima, sensus enim est, Petro convenire hoc prædicatum, esse hominem, intelligo; s. convenientia inter Petrum & hominem est intellectu percepta. I. in ordine ad auditum, ut in secunda, sensus enim est, Petro convenisse hoc prædicatum, clamasse, audio; seu convenientia inter Petrum & clamantem est, auditu percepta. I. in ordine ad appetitum, ut in tertia, sensus enim est Petro convenire hoc Prædicatum, vicisse, appeto; s. convenientia inter Petrum & vincentem appetui placet. Ex quibus liquido constat illas determinaciones non exprimere habitudinem convenientiæ inter subjectum & Prædicatum intrinsecam d. extrinsecam, quia quæ denominatur illa ab actu intellectus, sensus I. appetitus &c. datur prædicatio extrinsecæ, forma enim à qua denominativum de nominationem habet, non in, sed extra subjectum denominatum existit, ut attententi patet. Huc pertinent m. *probabile, credibile, amabile intelligibile, visibile, aversabile, &c. it videtur, tangitur, gustatur & it certum est, demonstratum est, probatum est* &c. Et innumeri alii modi extrinsecus determinantes (3.) ut ampliet *Enunciationem absolutam*, ita ut plus significet, propositio cum modo, quam sine modo, hoc est ut non tantum exprimat prædicatum subjecto verè I. falsò convenire, id quod nuda copula in propositionibus absolutis efficere potest & solet: Sed ut simul exprimat,



primat specialem quandam qualitatem (ut sic loquar) istius convenientiæ aut disconvenientiæ it. Veritatis aut Falsitatis. (NB) Sequimur in loquendi modo vulgus Logicorum, alioquin hæc ampliatio enunciationis commodius nomine restrictionis denotari potuisset; dum enim convenientiam &c: determinamus, propriè non ampliamus d. restringimus, restrictio autem & ampliatio à summulstis opponuntur; & revera enunciatio absoluta amplior est modali, cum præscindat ab omni speciali modo & quodammodo indifferens sit & sic plus dicat extensivè & si modalis plus dicat intensivè. Sed in verbis erimus faciles. Ex hoc autem requisito fluit, è numero modorum rectè excludi hos duos: *Verum est*, & *Falsum est*, cum non amplient (ut loquuntur) propositiones, nec faciant, ut plus significant; s. enim dicam: Deus est justus, sive dicam, Deum esse justum, verum est, perinde est; cum utrobiq; idem maneat sensus, & idem sit, prædicatum subjecto competere & verè eidem competere.

§. 15. Hæc tria sunt illa requisita quæ ad verum dignoscendum modum, quicquid modalem propositionem constituere efficax est, sufficiunt. Conveniunt autem hisce quatuor *Necesse*, *Contingit*, *Possibile*, & *Impossibile*. Unde 4. esse modos propositionem reddentes modalem, communior est sententia. Et licet videantur adhuc esse alii modi, quibus prædicta requisita applicari possunt, scil. τὸ per se & τὸ per accidens: non tamen à prioribus nisi quæ vocem distinguuntur, revera enim τὸ per se ad necessarium, τὸ per accidens verò ad contingens pertinent, ut ex Javello *tr. 3. c. 4.* observant *B. Scharff. in Inst. Log. p. 372.* & *Bechmannus l. c. p. 303.* Et si autem quatuor allegati modi revera participant de requisitis supra allatis, nec facile aliquis eorum in dubium vocetur, acriter tamen de distinctione eorum disputatur; tùm alii hos duos tantum agnoscunt peculiare ac distinctè modificantes modos, *Necesse* & *Contingit*; quæ sententia videtur fuisse *Aristotelis l. 1. prior c. 3. & 7.* ubi modum *Possibile* & *Impossibile* prorsus omittit, eo, quia monente *G. Hildenio P. 1. quæst. & Commentariorum in Organon Aristotelis p. 308.* his duobus modis reliqui contineantur, & ut videtur *Bechmanno l. c.* modus *Impossibile* suo modo ad modum *Necesse* referri possit, quod enim *necesse est esse, Impossibile est non esse*; quo jure etiam modus *possibile*

C

ad mo-



ad modum contingit referri potest, quod enim contingit esse, possibile est non esse. *Alii* tres tantum distinctos ac specialiter oppositos agnoscunt modos, nempe *Necesse*, *Impossibile* & *contingens* seu *possibile* (hos enim duos modos pro uno eodemq; accipiunt) ita sentiunt. *M. Soto & Mercado* l. 3. summularum c. 6. *Titelmannus* l. 3. Dial. c. 21. *M. Justinianus* l. 4. Instit c. 9. *Did. Masius* Comment. in lib. 2. de Interpret. c. 3. p. 91. *G. Hildenius* l. c. *F. Toletus* l. 2. de Interpr. c. 3. f. 141. *P. H. Mendoza* Disp. 4. summulæ sect. 9. p. 52. *R. Arriaga* Disp. 2. in summulas sect. 6. p. 33. *J. Lalemandet* in Apparatu. Isagog. Part. 6. p. 63. *Phil. à S. T. P. 1.* summæ Philos. q. 17. a. 1. p. 257. *M. Henricus Zittardus* quondam Pragæ Profess. ordinarius in Comment. ad lib. 2. de Interpret. c. 3. MS. *S. Sluterus* in Anat. Log. Rom. l. 2. c. 3. p. 639. Atq; horum sententia fundatur (monente *Zittardo* l. c.) in triplicitate materiæ consistentis in nexu extremorum, quippe quæ vel necessaria seu naturalis est vel impossibilis remota vel contingens, unde etiam in scholis satis trita est divisio Prædicationis in necessariam, impossibilem & contingentem vid. Excell. *Bechmannus* in Instit. Log. l. 1. c. 2. p. 31. 32. *Tres* etiam modos approbare videtur sed alio sensu atq; illi, *Johannes Grammaticus* cognomento *Philoponus* in comment. ad lib. 1. Prior analyt. f. 40. ubi ait: *Cum tres sint modi, Necessarius, inexistentis & contingens &c.* Verùm cum  $\tau\delta$  inexistentis sit modus à quo propositio dicitur de inesse seu absoluta, & hæc modali specialiter dictæ contradistingvatur, dicendum potius, *Philoponum* ad primam pertinere classem ac duos tantum agnovisse specialiter dictos modos, necessarium scil. & contingens. Deniq; *alii* 4. distinctos agnoscunt modos quos *Aristoteles* l. 2. de interp. c. 3. eo ordine recenset: *Possibile*, *contingens*, *Impossibile* & *Necesse*, quod contra *Lalemant.* c. l. 5. notabis, qui negat *Aristotelem* hunc servasse ordinem, & *P. Hispanum*, quem in tradendis modalibus ipsum *Aristotelem* superasse dicunt, primum hujus ordinis esse autorem contendit. Deniq; *alii* 4. distinctos modos admittunt, sed hi rursus inter se dissentiunt, quandoquidem alii hos 4. enumerant, *Necesse*, *Possibile* *Impossibile*, *Non necesse* ut facit *Joachimus Jungius* instit. Log. l. 2. c. 12p. 144. & quanquam hic



hic autor videatur superaddere quintum modum nempe *contingens* quem vocat compositum ad differentiam priorum quos appellat simplices; postea tamen ait hanc dictionem homonymiis involutam esse, ideoque semper ad simplices non homonymos modos reducendam. Sed divisio hæc in modos simplices & compositos minus congrua est, tum quod æquivocatio vocis propriè compositio (homonymus enim & compositus modus sunt ipsi æquivalentes) dici nequeat, tum quod modus homonymus seu compositus quatenus talis sit non modus; adde quod non contingit solum, sed etiam reliqui modi nisi prius ab æquivocato liberentur, sint homonymi, Denique τὸ non necesse non magis peculiaris modus dici potest, quam τὸ non contingit, non possibile, non impossibile &c. vel ergo & hic omittendus vel longè plures numerandi quàm prædicti quatuor sunt. *Alii* hos quatuor recensent, *Necesse, Impossibile, Possibile & Possibile non*, ut facit *Valentini Rascius* in *Instit. Log. l. 2. p. 183.* His addit quidem τὸ *contingens*, sed hunc modum tantum valere ait, quantum *Possibile & Possibile non*, adeoque ad priores reducit. Verum si τὸ possibile-non peculiarem constituit modum, cur non, *Necesse-non contingit-non, Impossibile-non &c.* inter speciales connumeravit modos? deinde falsum est, quod τὸ contingit specialiter acceptum tantum valeat ac *Possibile & possibile non*, quomodo enim obtinebit contrarias ac pugnantes significationes? *Denique*, receptissimus quaternarius numerus est eorum qui numerant hos quatuor *Necesse, Contingit, Impossibile, & Possibile*, ex quibus priores duos affirmativos, posteriores negativos vocat *Noldius* l. c. p. 155. Sed nec hi terminos eodem modo explicant, quantum ad modum *Necesse & Impossibile* ferè omnes conveniunt ita ut *Necesse* dicat immutabilitatem in esse seu quod ita est ut non possit non esse, *Impossibile* vero dicat immutabilitatem in non esse seu quod ita non est ut necessario non sit; *De Contingit* autem & *Possibile* variant. *Phil. Mel* in *Evotem Dial. l. 2. p. 135.* *Possibile* h. l. ait, significare id quod potest fieri seu causam habeat necessario agentem seu non necessario agentem. *Contingens* vero ipsi significat id quod cum sit habet causam, quæ poterat ex natura sua aliter agere; idque opponit *Necessario & Impossibili, & omnia possible non-necessaria*



cessaria sub hoc comprehendit. Eadem explicatio arridet P.  
*Fonseca* in Instit. Dial. l. 3. c. 9. p. 118. it. *F. Crellio* Isag. Log. P.C. l.  
 2. c. 6. p. 253. 255. Juxta hanc declarationem potuissent duo consti-  
 tuti modi (1) Impossibile (2) Possibile sub quo veluti species Ne-  
 cessarium, & contingens comprehenderentur, sed hac ratione  
 non quatuor distincti & immediatè oppositi forent modi, quod  
 tamen nobiscum aliàs asserunt hi autores, non ergo possumus  
 in hac explicatione acquiescere. Sunt qui nobiscum quatuor di-  
 stinctos enumerant modos, ita tamen τὸ contingit & possibile de-  
 scribunt, ut vel nullum prorsus discrimen advertas quoad rem,  
 quem errorem ab ipsomet *Aristotele* l. c. & qui eum sequuntur non  
 paucis commissum esse deprehendimus. Conf. *Gisb. ab Isendoorn*  
 in *Curs. Log.* l. 2. c. 3. q. 1. p. 318. Certè si τὸ contingit & possibile  
 (posito quod prorsus idem significant) duos constituunt distin-  
 ctos modos, cur non modorum numero accensent τὸ Per se, per  
 accidens, contra naturam, non repugnat &c. vel τὸ contingit &  
 Possibile ita describunt, ut τὸ Contingit differat quidem forma-  
 liter à τὸ Possibili, hoc tamè sub illo velut species contineatur, ita  
*Derodon* in *Log. Contracta* p. 83. & *Wyssius* l. c. p. 173. Sed nec hi  
 quatuor oppositos modos stante hypothesisuà defendere possunt.  
 Amplectimur itaq; declarationem quæ in nostris Scholis usitata,  
 juxta quam τὸ Neceffe significat *Predicatum subjecto ita convenire ut*  
*non possit non convenire*; τὸ Impossibile notat *Predicatum subjecto*  
*ita nō convenire ut nec possit convenire*; τὸ Contingit exprimit *Præ-*  
*dicatum ita Subjecto convenire ut possit etiam non convenire*; de-  
 niq; τὸ Possibile designat *Predicatum Subjecto ita non convenire ut*  
*possit tamen convenire*. Hæc modorum explicatio traditur à  
*Christ: Scheiblero* In *Op. Log.* P. 3. c. 7. tit. 2. a. 2. n. 15. p.  
 609. *J. Martini* in *Inst. Log.* l. 5. c. 12. p. 300. *Georg. Gutkio* in *Log.*  
*Divina seu Peripat.* Exerc. 9. β. *J. Scharff.* in *Instit. Exercit. &*  
*Manual. Log.* l. c. *A. Spenglero* Exerc. *Log.* 4. th. 3. p. 390. 391. *Saurio*  
 l. c. p. 278. *C. Noldio* in *Log. Recog.* c. 9. p. 155. quos sequun-  
 tur innumerii alii Logicorum. Hanc modorum explicationem,  
 utpote non tantum in Scholis nostris maximè receptam, sed e-  
 tiam convenientissimam & nos retinemus cū alioquin nec qua-  
 ternarius numerus tueri possit, nec ipsa modorum oppositio  
 salva.





§. 16. Dum verò recensitos 4. modos sub speciali illa si-  
gnificatione h. l. considerandos esse docemus, non est animus,  
quoniam cogere, ut præcisè nostram in omni dicursu assumat  
interpretationem, cum verba valeant sicut nummi: Sed tantum,  
ut in Schola nostra conformiter doceamus, placuit illam hypo-  
thesin receptam confirmare & diligenter inculcare, ut in reliquis  
quæ de Opposit. Æquipollentia &c. Syllogismo &c. traduntur  
semper attendatur hypothesis hæc, quod tamen à paucissimis ob-  
servatur, unde hæc Doctrina difficillima & maximè difformis  
evasit. Cæterum ut sciamus quot potissimum modis enumeratè  
modi in communi differendi usu accipiantur, observabis, quod  
τὸ *Necesse* seu *Necessariū* accipiatur duobus modis, (1) incomplexè  
& sic est affectionis disjunctæ Entis membrum; (2) complexè no-  
tatq; immutabilem nexum subji & Prædicati, & tunc vicissim vel  
indifferenter se habet ad esse & non esse, quo pacto impossibile  
etiam sub se comprehendit, quod enim non potest esse id ne-  
cessario non est; vel respicit tantum esse, & contradistinguitur  
Impossibili ac Possibili; & tunc vicissim vel respicit *tan-  
tum actum rei precisa omni causa*, quo pacto omnis pro-  
positio affirmativa vera, modo Necesse determinari posset,  
seu Necessaria sit specialiter dicta seu contingens, vi vulgati cano-  
nis: *Omne quod est, eo ipso quo est, necesse est esse*. Sic necesse  
est Petrum scribere, quia scribit, quia impossibile est idem si-  
mul esse & non esse; vel respicit *causam rei seu connexionem ex-  
tremorum preciso existentia actu*, quo pacto τὸ necesse tantum af-  
ficit illas propositiones quarum prædicatum subjecto necessario  
convenit non ob actū existentia, sed quia cum subjecto ita cohæ-  
ret, ut nexus seu à causa prima seu à causa secunda abstrahendo  
à Physica & Ethica causa, tolli nequeat. Et hæc significatio est  
h. l. quia propter Propositione de Necesse potissimum triplex esse  
dr. I. *obnecessitatem Metaphysicam*, quoniam prædicatum subjecto  
ita necessario competit, ut nulla virtute ne divina quidem nexus  
ille mutari possit, eò quod implicet contradictionem aliter se ha-  
bere. Ut *Necesse est Hominem esse animal, ambulans moveri, De-  
um esse infinitum &c.* Huc spectat primus & secundus necessitatis  
gradus sc. Necessitatis simplicis seu absolutæ & Necessitatis defini-  
tionum



tionum s: demonstrationum de quibus Conf. *Phil. Mel* l. c. p. 133. 134. *F. Crellius* l. c. p. 253. *Val. Rascius* l. c. p. 184. (2) Ob necessitatem physicam, quoniam prædicatum subjecto ita necessario competit, ut aliter se habere non possit, saltem secundum ordinem naturæ; ut *Necesse est solem lucere, ignem urere, aquam humectare &c*: hanc Necessitatem, Melanchton *Crellius, Rascius* l. c. tertiam speciem vocant. 3.) denique ob necessitatē Ethicā, quoniam prædicatum Subjecto ita Necessario competit, ut aliter se habere non possit, secundum iudicium prudentum; ut *Necessum est matrem amare liberos, Præceptorem esse fidelem &c*. spectat huc necessitas mandatis præcepti seu divini seu humani. *Phil. Mel. Crell. & Rascius* l. c. recensent, quartum necessitatis gradum, quem vocant *Necessitatem consequentia*, s. ex hypothese, tribuuntq; iis propositionibus, in quibus prædicatum subjecto necessario competit, vel quia sic à Deo decretum est; ut *Necesse est fieri extremum diem* vel quia sequitur ex causis quæ non mutantur, licet mutari potuissent; ut *Necesse est scandala venire*, vel quia contradictoria non possunt simul vera esse. ut *Necesse est Scribentem scribere*. Hic quartus necessitatis gradus parvagatur omnes necessitates commemoratas *Metaphysicam, Physicam & Ethicam*; si enim constitutâ hypothese, per divinam potentiam mutari res possit ad *metaphysicam* referri potest necessitatem; si hypothese constituta res mutari quidem possit hyperphysicè non tamen physicè, ad *Physicam necessitatem* pertinebit; deniq; si stante hypothese & à Physica & ab hyperphysica causa mutari, non tamen salvo iudicio viri prudentis aliter esse potest ad *Ethicam* reduci debet. Notabis tamen quod omne necessarium ex hypothese tantum sit contingens præcisa hypothese, it quod Necessarium necessitate Ethica tantum sit contingens habito respectu ad ordinem Naturæ & causam primam; porro quod Necessarium necessitate physica tantum sit Contingens in ordine ad causam primam.

§. 17. Haftenus de Necessario. *Contingens* seu *Contingit* etiam variis modis sumitur (1) pro eo quod non est impossibile, hoc sensu *Aristot.* lib. 1. prior cap. 3. ait, Contingere dicimus quod est necessarium, & quod non est necessarium & quod est possibile vid. *Alexander Aphrod.* ad d. 1. Atq; hoc Con-



*tingens* vulgo appellant *commune* & in syllogismo de modo  
Contingit haud raro cum contingit propriè dicto confundunt.  
(2) pro eo quod cum non sit necessarium, si ponatur esse nihil  
inde sequitur impossibile; hoc vocant *Contingens proprium* idq;  
duplex faciunt, alterum *ὡρισμένον* seu *Definitum*, quod plerumq;  
fit, à necessario tamen deficit habetq; certam & definitam à natu-  
rà causam; ut *Hominem canescere, augeri, tabescere* &c. alterum  
*ἀόριστον* seu *indefinitum* quod non habet certam ac definitam cau-  
sam estq; vicissim vel *æqualiter tale*, quod æqvè cadit in utramqve  
partem, ut *hominem ambulare*; vel *raro & fortuito tale*, ut *fodi-  
entem agrum invenire thesaurum*. Atq; hoc contingens pro-  
prium quod vocant, quot quot sequuntur *Aristotelem & Petrum  
Hispanum* h. l. esse dicunt. Sed hi necesse habent tres tantum  
constituere modos ut ex dictis patet. Deniq; (3) sumitur pro  
eo, quod cum actu sit, potest tamen non esse; quæ significatio in nostris  
Scholis, ut dictum, est receptissima, & potest *Contingens* hoc di-  
ci *propriissimum*.

§. 18. *Impossibile* vi vocis notat id quod non est possibile,  
variatq; pro variâ possibilis explicatione; si enim *possibile* explicetur  
pro omni eo quod non repugnat esse, seu actu sit seu non, seu  
necessario seu contingenter, tunc *impossibile* notat id, quod nec  
*Necessarium est nec contingens, nec possibile*; si vero *possibile* explicetur  
per id quod potest esse vel non esse, sive actu jam sit sive non  
sit, tunc *impossibile* opponitur tantum *Contingenti & possibili, non  
tamen Necessario*, quia quod *Necessarium est*, revera est non possibi-  
le modo explicato, cum non sit tale quid, quod possit esse & non  
esse; deniq; si *possibile* explicetur per id quod non est, esse tamen  
non repugnat, tunc *Non possibile* latissimè patet & comprehen-  
dit sub se non tantum *Impossibile specialiter dictum, sed etiam Ne-  
cessarium & Contingens propriissimum*, nullum enim horum est  
ale quid, quale possibile specialiter dictum esse diximus, adeoq;  
necessario sub termino, qui possibili contradictoriè opponitur,  
continentur singula. h. l. nec secunda nec tertia (quæ etiam mi-  
us usitata) significatio, sed *prima*, unde patet quod *Impossibile &  
possibile*, quæ uterq; terminus specialiter explicatur, inter contra-  
dictoria referri nequeant, & agnoscant tertium, puta *Necessa-  
rium*



riū & contingens. Porro *Impossibile* quod h.l. explicari solet, vel in ordine ad *Causā hyperphysicā* explicatur, quo pacto *impossibile* dicitur, quod ne per absolutā Dei potentiam esse potest; v. g. *Impossibile* est DEum esse lapidem; Et hoc vocatur *Impossibile naturā*: vel in ordine ad *Causam naturalem*, quo pacto *impossibile* dicitur, quod à causa naturali fieri nequit; Et hoc vocatur *impossibile Naturæ* v. g. *Impossibile* est asinum loqui. *His adderem ego tertium membrum nempe impossibile secundum Iudicium prudentum*; v. g. *Impossibile* est Matrem odio habere liberos &c. Datur etiam *impossibilitas hypothetica*, quæ velut *Necessitas hypothetica* pervagatur omnes species impossibilitatis allatas; huc pertinent: *Impossibile est hominem sine fide placere Deo, impossibile est Electum damnari &c.*

§. 19. Deniq; *Possibile* vi vocis significat quod non repugnat esse, & variè à *Philosophis* accipitur (1) pro *omni eo quod non involvit repugnantiam* seu actu sit seu non, seu necessarium sit seu contingens, quo pacto etiam *Necessarium*, & contingens sub *possibili* comprehenduntur (2) pro eo quod non est necessariū, *indifferens tamen est ad esse & non esse*, quo pacto specialiter dictum *possibile* & contingens sub se complectitur; & hæc significatio ab omnibus iis attenditur, quotquot tres tantum & non quatuor agnoscunt modos, modumq; *Possibile* & *Contingit* in unum compingunt. Deniq; (3) pro eo accipitur *quod non actu est, actu tamen esse non repugnat*, quæ significatio in nostris Scholis usitatiores & frequentior, adeoq; etiam à nobis nunc attenditur.

§. 20. Hactenus de *numero & notis propriè dictorum modorum* eorumq; *variā explicatione* differni, nunc ad *situationem* pergo, ubi *tria notanda* (1) *nihil obstare quocunq; loco ponatur*, quibusq; etiam verbis exprimat *modus*, modò afficiat *copulam* (2) *quod triplici ratione collocari possit modus, ut afficiat copulam*, ab *initio dicti*, in *sine dicti* & in *medio dicti* (3) *ex diversa illa situatione ortam esse vulgatam modalium divisionem, qua dispescuntur in divisas & compositas*. *Divisa* enim dicitur in qua *modus ponitur inter partes dicti*; ut *hominem contingit esse doctum*; it. *DEum necesse est esse Spiritum*. *Composita* vero dicitur in qua *modus integro dicto vel præponitur vel postponitur*



nitur; ut in his: Necessè est accidens esse in subjecto; & Homine m scribere contingit.

§. 21. Circa hanc divisionem observabis, i. quòd Philosophi modum in divisa plerumq; efferant adverbialiter h. m. *Homo necessariò est animal, Petrus contingenter currit. Quidam homo possibiliter loquitur, Lapis impossibiliter est homo.* Nonnulli tamen modum Possibile & impossibile malunt explicare per potest & non potest. h. m. *Q. homo potest loqui & lapis non potest esse homo &c.* Sed hæc res parvi momenti. (2) quod communis sit persuasio divisas faciliores esse intellectu, quam compositas, unde semper svadent, compositas præsertim in syllogismis reducendas esse ad divisas eum ita sensus citra sui immutationem multo evidentius percipiatur (3) hanc tamen reductionem universalem esse negat *Nibusius* quem sequitur *Stannarius* idq; confirmat (a) quia sæpe numero servatis iisdem terminis modales compositæ sunt veræ divisis existentibus falsis, quod non fieret, si idem possent subire iudicium logicum v. c. *Contingit omne animal esse hominem. O Numerum esse imparem non est Necessè. O Ens hodie existere non est contingens. O partem hominis esse corpoream est impossibile. Contingit Nullum hominem esse album &c.* omnes sunt veræ. Contra falsas esse harum divisas docent v. g. *animal contingenter est Homo. O numerus necessariò non est impar. O Ens hodie contingenter non existit. O pars hominis impossibiliter est, seu non potest esse corporea. N. homo est contingenter albus.* (β) quia compositæ sæpè habent duplicem sensum divisam unum solum obtinente, v. g. hæc: *Quoddam animal esse hominem*, necesse est; bifariam intelligi potest (a) quoddam quod est animal esse hominem, qui sensus est verus (b) Necessarium esse, ut sit aliquod animal, quod homo sit; at hoc falsum, quia ante sextum diem creationis fuit animal, nondum existente homine. Divisa tamen hæc: *quoddam animal necessariò est homo*, unum tantum habet sensum. Idem etiam evenit in his exemplis, *quandam substantiam esse leonem contingit. Nullum animal esse equum, est impossibile.*

§. 22. Respondet ad (1) *Danbauerus* in singulis exemplis variari suppositionem, semper enim modalem ut compositam  
D suppo-



Supponi vel simpliciter vel copulativè; divisam verò distributi-  
vè, quæ omnia prolixè qua singula exempla demonstrat in *J. B. D.*  
& *M. S. p. 301. 303.* Nos addimus (1) quod juxta specialem & propri-  
am modorum significationem prima & ultima propositio moda-  
lis non tantum ut *divisa d. m.* ut composita fit falsa, non enim o-  
mne animal actu est homo nec Nullus homo actu est albus, id quod  
tamen juxta propriam modi Contingit explicationem requiritur.  
(2) quod *secunda, tertia & quarta* *divisa* non recte se habeant.  
Monent enim accuratiores Logici, ut in reductione compositarum  
ad divisas accurate attendere debeamus ad particulas negantes ea-  
rumque dispositionem; sic quando in composita tantum præfigitur  
signo & non simul modo, etiã in *divisa*, ita poni debet, ut tantum  
afficiat signum, non vero modum. Porro si in composita  
utrumque afficiat, in *divisa* quoque non alterutrum saltem determi-  
nare debet. Ratio ea est, quia negatio præfixa modo & signo  
eorum vim destruit & ex particulari universalem, ex universali  
autem particularem facit. Difficilis autem illa reductio vide-  
tur in modo *Impossibile* & signo *Nullus*, quæ difficultas tamen sta-  
tim evanescit, si modum *Impossibile* resolves in *non-possibile*  
& signum *Nullus* in *Omnis-non*. v. g. *Impossibile est Nullum Ens esse*  
*DEum*. Sic prius exponatur: *Non possibile est O. Ens non esse Deum.*  
Nunc fiat reductio ad *divisam* hoc modo: *Non omne ens potest*  
*non esse DEus*; Quod idem est ac *Quoddam Ens non potest non esse*  
*DEus*. Observabis autem quod in quibusdam exemplis particu-  
la negans, quoad externam situationem signo postponatur & sic  
in illud nihil juris habere videtur, id quod sit quoniam modus in fine  
collocatus negatur, in quo casu non modus tantum sed etiam  
quantitas dicti negatur, quia modus in composita nunquam ne-  
gari potest, ut non simul Quantitas dicti negetur; & ratio est in-  
promptu, quia prorsus idem manet sensus, usu loquendi sic pro-  
bante, sive modus (seu negatus seu affirmatus) dicto præponatur  
sive postponatur; sic idem est, sive dicas: *Impossibile est omnem ho-*  
*minem esse damnatum*; sive dicas, *Omnem hominem esse damna-*  
*tum, impossibile est*. Porro tenendum, nihil interesse seu parti-  
cula, non, toti modo præponatur, ut in hoc: *Non-Necesse est*;  
seu immisceatur, ut in hoc: *Necesse non est* seu virtualiter in co-  
lateat,



lateat, utin hoc *Impossibile est*. Conf. B. Scharff. in Instit. Log. l. 2. c. 6. p. 369. Bechman. in Instit. Log. l. 2. c. II. p. 305. Stratemann. in fine Systematis Logici. His nunc observatis, facile apparet in allatis exemplis reductionem vitiosè institutam esse, secunda enim sic exponi debuisset: *Non omnis numerus necessario est impar*. tertia hoc modo: *Non omne ens hodiè contingenter existit*. Quarta sic exponenda: *Non omnis pars hominis potest esse corporea*. Quia ratione divisæ non minus ac compositæ sunt verissimæ, & totum *Nibus* fundamentum corrui.

§ 23. Ad (2) respondet Danbauerus. l. c. p. 303. 304. concedendo, duplicem esse sensum in composita hac: *Quoddam animal esse hominem Necessè est*. At non minus utrumq; erui posse ex divisa: *Quoddam animal necessario est homo &c.* quam respons. suo loco relinqvo, putarem tamen confundere *Nibusum* sensum totius propositionis cum sensu dicti; nam hujus: *Quoddam animal est hominem necessè est*; sensus non est: *Quoddam animal est homo simpliciter*, hic enim dicti sensu est, dictum autem partem, non totam absolvit propositionem; dicerem ergo, allegatæ propositionis non nisi unum eumq; falsum esse sensum, quia Species de Genere non necessario sed contingenter prædicari debet. Sed de his satis

§. 24. Observandum circa divisionem propositionis modalis in compositam & divisam quod mire inter se dissentiant Autores, de discrimine propositionis compositæ & divisæ. Nonnulli in modali composita *dictum* obtinere vicem *subjecti modum* vero absolvere *prædicatum* docent v. g. in hac: *Hominem esse animal necessè est*. *Subjectum* esse dicunt, hæc verba: *Hominem esse animal*; *Prædicatum* v. esse hæc verba: *Necessè est* Contra in divisa modum faciunt partem prædicati. Hæc sententia P. Fonseca in *Instit Log. l. 3. c. 9. p. 119. 120. Phil. à S. Trinitate l. Part. Summ. Phil. q. 17. a. 1. p. 258.* quos sequuntur Gutkius in *Log. divina Exerc. 9. Gisb. ab Isendoorn in Cursu Log. system. & Agonistico l. 2. c. 3. q. 1. p. 319. A. Spenglerus l. c. p. 389.* favet etiam huic opinioni ipse Ramus l. 6. Scholar. Dial. c. 3. Sed contra hanc sententiã, præsertim quã modales compositas non pauca militant argumenta & quidem (1) *quia modalis composita planè eundem sensum*



habet, quæ obrinet *divisa*, qui ergò fieri possit, ut in *composita* modus sit *integrum prædicatum* in *divisa* vero secus se res habeat? identitatem autem sensus admittere necesse habent omnes, quot quot reductionem *compositæ* ad *divisam* concedunt, & licet nonnulli eam universalem esse negent, contrarium tamen à nobis abunde demonstratum (2) quia si *modus esset integrum prædicatum*, sequeretur quod in *conversione modi cum dicto sensus immutaretur*; Sed hoc non fit. E. Consequentia evidens est ex doctrina de *Conversione*; minor ex exemplis patet, sive enim dicam: *Necesse est hominem esse animal*; sive dicam: *Hominem esse animal necesse est*; perinde est. (3) quia *stante hac hypothese in omni syllogismo modali puro ex modalibus compositis, idem terminus bis repeteretur*, quod absurdissimum. Excipit quidè *David. De rodonis* in *Logica restituta* p. 568. & *Wyssius* l. c. p. 275. modos illos esse prædicata non quatenus in *Syllogismo*, sed quatenus extra *syllogismum* ponuntur, sed *frivola est exceptio*, sive n. *propositio* intra seu extra *syllogismum* ponatur, semper idem *subjectum ac prædicatum* retinet. Conferantur quæ in favorem nostræ sententiæ disputant *H. Arniseus* in *Not. ad Crellii Logicam* P. C. l. 2. p. 168. *J. Martini* in *Instit. Log.* l. 3. c. 12. p. 296. miror tamen cur *Clarissimus Vir paulo post* p. 298. in *propos. modali composita negativa* modum expressè constituat *prædicatum propositionis*, iisdem enim rationibus quarum vi probat, modum in *negativis* tenere locum prædicati, *Adversarii* nos possent stringere, quod idem de *affirmativis* asserentur, quod laudato viro æque ac nobis contrariatur. Confer. *Fr. Bechmannus* in *Instit. Logicis* l. 2. c. 11. p. 301. *Greg. Stannarius* de *Syllog. formal.* c. 13. p. 87. 88. & c. Contra alii *modum incomposita* statuunt esse *determinationem copule*, in *divisa* vero fieri *partem materialem prædicati*, cui sententiæ album addere *calculus* videtur *Dannbauerus* in *J. B. D. & M. S. f. 2. a. 13. p. 299. & seq. it Stannarius* l. c. p. 55. & seqq. verum hi tueri nequeunt, *salvis suis hypothesebus*, *modalium compositarum* idem esse *judicium cum modalibus divisis*, quod tamen expressè habet *Dannbauerus* l. c. multo minus obtinebunt, quod *divisa modalis* sit *veri nominis talis*, quandoquidem inter *requisita propositionis modalis* sit, ut *modus determinet connexionem subjecti &*  
Prædi-



Prædicati. Adde quod juxta hanc sententiam in omni syllogismo modali puro i. fig. 4. occurrant termini, qui tamen omnium consensu formaliter bonus; & dici non potest, quam torserit hæc sententia Cl. Gutkium in *doctrina de syll. mod. Necessario*. Trior itaq; sententia est eorum qui in composita æque ac in divisa & contra, *modum ad copulam* referunt adeoque neque subjecti neque prædicati partem materiale constituant; ac non nisi Grammaticale discrimen inter utramq; admittunt; Cùm id non solum ex remotione aliarum sententiarum relinquatur: sed & directè ex eo probari possit, quod (1) alias discrimen inter absolutam de modificato prædicato & modalem obtineri nequeat (2) in syllogismis modalibus plerisque formæ bonitas salvari non possit (3) requisita modorum propriè dictorum frustra urgerentur. Conf. *Magnif. D. Scherz* in *Brev. Eustach. quæst. Log. 114. p. 87.* ubi simul docet, hanc divisionem prorsus non esse ferendam, in quo tamen modestè dissentimus. it. *Arriaga* Disp. 2. in summulas de oratione & propos. sect. 6. p. 33. Videtur quidem nobis obstare autoritas *B. Scharffi* qui in *Instit. Log. 1. 2. c. 6. p. 370.* & seq. modum non tantum ad copulam & compositionem enunciationis refert, sed simul ad integritatem prædicati eundem pertinere docet; Verùm cùm *laudatus Autor* etiam copulam Prædicati partem faciat ut ex l. c. p. 264. 267. constat, facilè cùm nostra sententia conciliari potest; nempe prædicatum totale ipsi est totum complexum ex copula & re copulata quæ specialiter dicitur prædicatum, quo ergo sensu copulam prædicati partem dicere fas est eodem jure modum inter partes prædicati numerari posse, admittimus; & sicut additio copulæ ad prædicatum in minore. Fig. *B. Scharffio* non auget medium, ita nec modum in simili casu multiplicationem terminorum causare dicendum est.

§. 25. (5) Observandum modalem propositionem duplicem posse habere sensum, *compositum & divisum*; qui docente *Fonseca* in *Instit. Dial. 1. 7. c. 6. p. 522.* duplici ex parte in his reperitur (1) *ex parte dicti* (2) *ex parte modi*. *Sensus compositus ex parte dicti* ipsi dicitur, cum copula dicti necit formalia significata extremorum; divisus vero cum necit formale significatum prædicati cum materiali significato subjecti v.g. *fidico: Possibile est se-*



*sedentem ambulare*; si dictiones hæc, *sedentem & ambulare*, secundum formalia significata jungantur, ut hæc sit enunciationis sententia, fieri potest, ut *sedens, cum sedet, ambulet*: sensus est compositus ac falsus. Si autem prædicatum (quod semper formaliter accipitur) jungatur cum materiali significato subjecti; quasi dicas, *fieri potest, ut homo qui sedet, alioquin ambulet*, sensus erit divisus & verus, atq; hunc sensum compositum non habere locum, nisi in modalibus, quarum dicta constant subjectis connotativis, idem *Autor* docet l.c.p. 523, 524. non tamen rectè faciunt sumulistæ hanc sensus divisionem ad solam modalem propositionem applicantes, cum non tantum in dependens sit à modis, d. m. non minus in non modalibus reperiatur monente Arriaga l.c. *Sensu compositus ex parte modi ipsi* dicitur, cum modus simul ac semel jungitur cum omnibus dictis, quibus universale dictum exponitur: *divisus* autem cum sigillatim adjungitur singulis. v. c. si hæc *propositio*: *Contingens est aliquod corpus moveri*; sic exponatur, *Contingens est hoc corpus moveri, aut illud corpus moveri, aut istud &c.* erit sensus compositus siquidem cum omnibus simul exponentibus semel tantum jungitur modus. Si verò exponatur hac formula, *Contingens est hoc corpus moveri, aut contingans est istud corpus moveri &c.* erit sensus divisus: quoniam singulis exponentibus seorsim modus adjungitur. Plurimum autem utriq; sensui interesse docet ibidem p. 525. Hactenus ille.

§. 26, (6) Observ, quod nonnulli *modalem compositam* perperam confundant cum *modali sensum compositum habente*, & *divisam* cum *modali sensum divisum obtinente*. vid. *Phil. à S.T. Part. prim. summ. Phil. q. 17. a. 1. p. 257. Did. Masius* in comm. ad *Organ. Arist. l. 2. de interpr. c. 3. p. 93.* aliiq; unde etiam ex hoc inferunt has compositas esse falsas: *Possibile est album esse nigrum; it. calidum esse frigidum est possibile* contra has esse veras: *album potest esse nigrum, & calidum possibile est esse frigidum.* Rationem hanc addunt: quia enunciatio divisa separat unum contrarium ab alio in eodem subjecto, composita vero contraria ipsa in uno eodemq; subjecto conjungit, contraria autem benè quidem dividi, nequaquam tamen in eodem subjecto simul conjungi possunt. Verum, ut dixi perperam distinctissima confundunt, & falsi.



sisimum, quod per interpositionē modi inter partes propositionis separetur unū contrarium ab alio &c. cum æqvè in divisa sensu compositus & contra in composita sensus divisus attendi possit, ut exempla ubi vis obvia probant.

§. 27. Deniq; (7) notabis quod modalis composita æqvè ac divisa converti salva veritate possit in absolutam de modificato extremo, quæ tamen cum modali divisa non est confundenda, cum hæc ab illa differat (1) ut *propositio negans ab affirmante de infinito predicato*, adeoq; (2) *hæc formaliter modalis ista formaliter absoluta est*. Atq; hæc mutatio fortè Tironibus non est dissuadenda, præsertim in doctrina de syllogismis modalibus quia hæc ratione per omnia Syllogismus modalis ad Regulas vulgares exminari potest: Exercitatos tamen etiam formales regulas Syllogismi modalis ex propositionibus modalibus formaliter talibus constantis, addiscere oportet, alioquin si hoc compendio uti liceret, quid obstaret quo minus in omni syllogismo propositiones negativas in affirmativas, it. conditionales (sc. trium terminorum) in simplices de conditionato predicato transmutare & illum juxta leges syllog. affirmativi, hunc ad regulas syllogismi simplicis examinare liceret, quod tamen in scholis nostris est insolitum.

§. 28. Hactenus de *natura & quidditate propositionis Modalis simplicis non exponibilis* prolixè disseruimus, & quia præter opinionem nimium crevit sub manibus opus, quæ de affectionibus, *quantitate, qualitate, oppositione, conversione & equipollentia* disputanda, ad subsequenter disputa. rejicere, necessitatis lege jubemur.

### S O L I D E O G L O R I A !

**I**ngenium sublime tuum qui ignorat, Amice,  
Hæc legat, & dubium quod ceperat, exuet omne  
Nam qui doctrinam vult pertractare Modalem,  
Polleat ingenio, doctrina atq; arte necessum est.  
Gratulor ex animo Patriæq; Tibiq; Tuisq;  
Spes est, ut cunctis quondam des commoda multa.

P R Æ S E S.

**D**ivinum tentare; simul penetrare profundum:  
Hoc Animi tantum, dico, capacis Opus!

M. ADAM PURPIUS,



**N**on laudabo tuæ clarissima munera Mentis,  
Cum perquam doctum Te tua Svada probet.

*L. M. Q. faciebat*

GEORGIUS BRISEUS, Aurimonte Siles.



**S**implex ac unum statuit Dialectica Verum,  
Verum non unò quærit id usq; Modò.

Ergo Modos illos, quos Gordi vincula Nodi

Jure voces meritò, Dulcis Amice, secas.

*Sic in honorem Amici sui dilectissimi*

*Scribere volebat*

CHRISTOPHORUS STÜBNER, Aurimonte Siles.



**W**eil du stets/werther Freund/den Künsten nach  
gestrebet/

Und auf dem Helicon dein edler Geist geschwebet/

Izt auch nun zeigen kanst bey der gelehrten Welt/

Daß selbst die Pallas sich dir habe zugesellt.

Wol an so fahre fort die Musen so zu küssen/

Der Prinz Apollo selbst wird diese Lust versüßen;

Die Elio windet schon den grünen Lorber-Kranz/

Der dir gereichen soll zum schönsten Ehren-Blank.

Mit diesen wenigen hat seinem hochwerthen

Gönner seine schuldigkeit erweisen wollen

**GOTTFRIED ZOBEL**

Aurimonte Sil. LL. Stud.



Ad Amicum Optimum optimè de Syllogismis Modalib9 Disp,

**D**iscursum, Fautor, discursu, doctè, modalem

*Illustrans, sistis non sine laude modos.*

*Quid sit POSSIBILE, & quid NON, scis, quidve NECESSE,*

*CONTINGIT studiis sic decus omne tuis.*

CHRISTOPHORUS PORSCHIUS, Elbingâ Prussus.



Ung VI 73

ULB Halle 3  
004 108 515  












Farbkarte #13

B.I.G.

36

ONUM

ISMIO

LICI NON-  
ILI

dalium simplic.  
dditate,

E

BENED.

A,  
djuncto

AGSCHAE/

Sil.

isitioni

. d. 15. Julii

iori



E,  
WILCKIUS.

